

055

053

059

049

064

044

104

004

154

554

Ende

Anfang

44

ducti ad pyramides, quas si non vidi sem de prope, faciliter crederem fuisse reservacula fructuum, sed visus de prope demonstrat, fuisse monumenta gentilium, et versus praedicti, et Solinus, et Plinius; et Sacra Scriptura 1. Maccab. XIII. recitat de Simone magno sacerdote, quod super sepulchra patris et fratrum aedificavit aedificium altum, et statuit VII pyramides more gentilium, qui super suorum carorum sepulchra vel pyramides erigebant vel columnas altas,

Porro si sequi placet antiquorum aliquorum fictionem, dicere possumus, has pyramides a diis factas, in quas transfugientes Jovem se absconderunt, ne ab eo fulminarentur; ideo in eis sunt hominum receptacula. Verum Plinius LXXXVI. Cap. 12. Naturalis historiae dicit, has id circa pyramides a regibus factas, ut essent: 1) pecuniae ostentatio otiosa et stulta; 2) ne posteris thesaurum reliquerent inimicis; 3) ne plebs esset otiosa; 4) ut essent in admirationem videntium et stuporem, et terrae divulgationem; et 5) ut essent perpetua memoralia suorum auctorum ob insignia ingenia artificum; 6) ut essent aeterna monumenta defunctorum regum. De sepulchris enim antiquorum regum Aegypti mira auditu recitat Diodorus Siculus, antiquissimus historiographus, Libr. II. historiarum antiquarum rerum Cap. 2., ubi multis miris inductis scribit, Verum, inquit, de harum pyramidarum auctoribus nihil certi neque apud incolas neque apud scriptores constat; sunt autem tam mirabili opere factae, in terra undique arenosa, ubi nulla neque aggeris neque caesi lapidis sunt vestigia, ut non ab hominibus sed a diis tanta moles structa videatur. Antiqui autem Aegyptii nullam aut parvam curam habebant ad constructionem domorum suarum, quas simplicissimas habebant, quia indignum aestimabant magnos labores, expensasque multiplicare in re cito transitura, ut est brevis hominis vita, pro qua modicum casale sufficit. Ad constructionem autem templorum et suorum sepulchrorum maximos et diligentissimos habebant labores, perpetuitatem quandam in eis esse dicentes.

Juxta pyramides vidimus ingens idolum saxeum, foeminae habens formam, quod non dubitavimus Isidis esse columnam; si quidem Isis Promethei graeci filia, cum virgo esset praestantissimi decoris, amata a Jove adultero et oppressa est, quae propter perpetratum crimen fugit a patre, et praestitis sibi a Jove auxiliis armata classe intravit Aegyptum, et pluribus consertis bellis sibi Aegyptum subegit. Advenit etiam eo tempore Apis

